



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Iordanvs C. 13. Februarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

errasset, magnis ejulatibus, ne in pabulum feris cedat, id noctis hospitium orat, aperit MARTINIANVS à feris foeminam defensurus, se lupæ objecturus; penitioribus tamen adytis clausus pernoctat. Sed manè mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam! Videt hanc, & basiliscum videt. Audit, & Sirenem audit, & dæmonis victorem panè mulier vincit. Experrectus tamen veluti à somno ignes fecit ingentes, pedibusque insultans, age dixit, lubeat peccare, si vel has flammæ lubet ferre. Exstinxit hic rogos Veneris ardorè, tum præcipuè cum lacrimas meretriculæ etiam, damnatâ jam Venere, affudit, Cæterum MARTINIANVS in rupem è medio mari eminentem secessit. Hic quoque dum Charybdim fugit, in Scyllam minimo minus incidit, & Venere planè regnare in mari discit. Ecce enim naufragâ puella, & ad perniciem oculorum pulchra in rupem enatat. Hic verò MARTINIANVS ignes præventurus in mare se abjicit. Quid expectas, lector? Delphines tergo excipiunt, & littori salvum reddunt. Vides, puto, nunc, quid in homine hi ament. *Ex Metaphr.*

S. IORDANVS C. 13. Februarii.

Qvem nudus in cruce Christus movet, ille tegere hunc à IORDANE discat, qui cum pauperi, quando ad ma-

manum nummi non erant, balteum argenteum dedisset, templum mox ingressus exornatum eo Christum crucifixum advertit. Pulchrè locatum credidit: quin ut totum jam Christum tegeret, omnibus se nudavit, & ad D. Dominici paupertatem nudus confugit. Subinde toti familiæ illi præfuit. Mira in eo adolescentum animos ab humanis avellendi, & trahendi ad æterna ars & dexteritas. Eloquentiâ suâ quocumque voluit totam concionem impellere novit, multum eam ob rem ab orco infestatus. Intereâ tamen Calites, & ex his præcipuè Calitum REGINA favebant IORDANI. Quare ad hunc sceleribus oppressos velut ad doctissimum medicum non semel ipsa misit. Visa est deinde inter maximum Divorum comitatum, sub preces divitas, è manu IORDANIS librum accipere: alias cubicula dormientium alumnorum lustrare. quin ipse Divus, festo, quo Lustratam VIRGINEM colimus, die, vidit hanc è summâ arâ, ad illa cantantium verba (*Gloria Patri, &c.*) prehensâ filioli manu omnibus benedicere. Poterat hoc credo ad cantum Angelos provocare. Cæterum dum Terram sanctam petit IORDANVS, naufragus in medio mari portum reperit, appulsusque ad beatiorum est Solymam. *Ex Surio.*